

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XIX. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Christum resurrexisse ex mortuis, 2. Tim. 2. v. 8. & illuminasse vitam & incorruptionem, 2. Tim. 1. v. 10.

III. *Meritum Christi tibi applica.* Servator noster triplex munus gerit, quod sub nomine Christi significatur, qui unctum notat. Sicut igitur in V. T. tria hominum genera uncta sunt, summi Pontifices, ut Aaron ejusque filii, Exod. 40. v. 9. 10. Prophetæ, ut Elisa filius Saphat, 1. Reg. 19. v. 16. Reges, ut Saul, 1. Sam. 10. v. 1. Ita Servator noster Spiritu sancto unctus est, Act. 10. v. 38. ut haberemus in eo

1. *Pontificem*, non juxta Ordinem Aaronis, sed Melchisedec, Psal. 110. v. 4. hinc tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2. & ad dexteram Dei interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

2. *Vatem.* Quia enim naturam tenebris obscuratum intellectum habemus, & voluntatem Dei non cognoscimus, ipse ut Magnus ille Propheta à Mose promissus, Deut. 18. v. 18. notas nobis fecit vias vitæ, Psal. 16. v. 11. Joh. 1. v. 18.

3. *Regem.* Diabolus adversarius noster infensissimus est, qui circuit, tanquam leo

rugiens, & querit quem devoret, 1. Petr. 5. v. 18. Sed hæc consolatio nostra, quod Regem habeamus, qui Diabolo & ejus satellitibus sufficiens est. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Dissolvit ipse opera Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. caput serpentis contrivit, Genes. 3. v. 15. forti armato arma abstulit, quibus confidebat, Luc. 11. v. 22. Ita ut nunc cum Esaia dicere valeamus: Dominus judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos, Esa. 33. v. 22.

Ad hunc igitur Salvatorem in omnibus adversitatibus confugiamus. Ut Pontifex enim noster, pro nobis orabit: ut Propheta noster, viam cæli nobis ostendet; ut Rex noster, nos defendet. Quem igitur timebimus? Dominus enim fortis est Heros, Heros in prælio, Psal. 24. v. 9. hic Protector noster, in quo exultare possumus, dicentes: Dominus mihi adjutor; non timebo, quid faciat mihi homo? Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos, Psal. 118. v. 6. 7.

Sit illi gloria in secula seculorum,  
Amen.

## DOMINICA XIX. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 9. v. 1 -- 8.*

### EXORDIUM.

**D**E junioribus Studiosis Hierochunticis, Elisæi discipulis, refertur, quod herbarum egressi, varias herbas collegerunt, ad famem in annonæ caritate sedandam. Inter

alias colocyntidas quoque collegerunt, iisque pulmentum adeo amarum reddiderunt, ut comedi non posset. Quod cum Elisæo significassent his verbis: O vir Dei, mors est in olla! misit ille farinam in ollam,

m m m

ollam,

ollam, & amaritudo cessavit, 2. Reg. 4. v. 39. seqq.

Elisæus idem est ac *salus Dei*, quod optimè congruit Servatori nostro; qui *salus Dei* est, usque ad extremum terræ, Esa. 49. v. 6. nobis herbatim eundem in hâc miseriarum valle, & in sudore vultûs vescendum pane nostro, Gen. 3. v. 19. invenimus sæpè vites sylvestres & amaras colocyntidas, ex quibus neque commodum neque voluptatem capimus, ratione maledictionis, quâ Deus terram oneravit: Quin & amara colocyntide ipsi pulmentum discocimus, ut morti, ejusque prodromis, variis morbis subjecti simus, juxtâ illud Syracidis cap. 40. v. 1. & seqq.

Verùm quando ad Christum confugimus, clamantes: O vir Dei mors in olla! id est, oramus omni tempore, & in omni instantia, Eph. 6. v. 18. amarum colocyntidis pulmentum, farina præsentissimi auxilii, edulcaturus est, ut omnia nobis in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28.

Præclarum exemplum habemus in Paralytico præsentis Evangelii, qui & ipse de amaro colocyntidum pulmento comederat, ut morti vicinus esset: verùm ubi à beneficiis quibusdam ad Christum deferretur, & corpore & anima sanatur, ut à morbo & peccatis liberatus, quasi nunquam ægrotasset, abire possit.

Nos methodo nostræ inservientes contemplantur

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

## Exegetis.

**N**emo sine speculo, dixit Socrates ad discipulos suos. Quo ipso id intendebat, ut illi, qui propter formam sibi placerent, eò majorem adhiberent diligentiam, ne corpus benè dispositum, vitis contaminarent. Qui verò deformitatem suam intuerentur in speculo, virtutibus faciem deformem emendarent.

Nobis idem facere convenit: & quia nos ipsos difficulter cognoscimus, speculum divini verbi adhibeamus, sic facile errata nostra deprehendemus, ut dicamus cum Paulo: Scio, quod in carne meâ bonum non habiter. Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7. v. 18. 24.

## Querelam movet

I. *Christi repudiatio*, quam innuunt hæc verba: Et ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam.

Paulò ante Servator cum discipulis suis mare penes Capernaum trajecerat, & in Regionem Gergesenorum venerat, eo fine, ut habitatoribus illius terræ, viam ad cælum indicaret: adhuc enim in Ethnicâ infidelitate hærebant, quod inde patet, quia porcos multos aluerunt, qui Judæis permitti non erant, Levit. 11. v. 16.

Alii Gergesens deivare volunt à Cham, filio Noæ, qui inter alios & filium genuit nomine Gergosi, Genes. 10. v. 16. à quo Gergesinæ orti, quorum mentio fit Gen. 15. v. 21. nec improbable est, quod in terrâ Gessuri habitaverint, quæ ad Jordanem

nem

nem sita, versus Orientem, Deut. 3. v. 14. Metropolis erat Gadara, aliàs Gerasa, siue Gergesa vocata, de quâ Hieronymus scribit, quod suo adhuc tempore florentissima fuerit.

In hac Regione Christus aliquantisper substitit, & duos obsessos liberavit.

Quia vero Dæmones ejeti, in gregem porcorum migrabant, & totum gregem in mare præcipitabant; tota civitas exiit obviam Jesu, & rogavit eum, ut transiret à finibus eorum.

O quot hodie tenus reperiuntur, qui porcos suos majoris æstimant, quàm concionem Evangelii, & è verbo Dei commoniti, ut à mundo immaculatos se custodiant, Jac. 1. v. 27. in quo nihil est, nisi concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis & superbia vitæ, 1. Joh. 2. v. 16. obsequi nolunt, dicentes: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, Job. 21. v. 11. Hi Epicurei sunt, qui ventrem Deum constituerunt, quorum finis interitus, & gloria in confusione, Phil. 3. v. 19.

Sues Deus repudiavit, & non modò sacrificiis non adhibuit: sed & Israelitas carnibus eorum vesci prohibuit, Levit. 11. v. 7.

Pari ratione abominatur Epicureos, qui ut sus lota in volutabro luti volvuntur, 2. Petr. 2. v. ult. Sir. 5. v. 7.

Sus quando prehenditur, ingentem clamorem edit, novit enim mortem sibi paratam, quia lana destituitur, quæ decerpi possit: Ovicula verò patiens est, nam lanam hominibus infervire novit, quæ & anniversariè detonditur. Ita norunt impij, quando in morbum incidunt, quod corpore & anima Diabolo mancipentur,

ideò clamorem miserabilem emittunt, dicentes: O montes cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, Apoc. 6. v. ult. Pii verò & in morte confidunt, Prov. 14. v. 32. quia sciunt, illà non damnum sibi afferre, sed januam aperire ad vitam æternam, Joh. 5. v. 24.

Apage igitur cum suis, quorum non est Regnum cælorum. Oviculas vero Servator à dextris suis sistet, Matth. 25. v. 46. ut cum eo semper sint, 1. Thess. 4. v. 18.

II. *Paralytici consideratio.* Hic in lecto jacebat ut truncus, multis doloribus inquietatus, quos paralytis afferre solet.

Hæc magna est miseria, quod homo morbis adeò dolorosis subiectus est, qui ipsi somnum turbant, ut nec per noctem mente requiescat, Eccles. 2. v. 23. Job. 7. v. 4. Verùm non aliundè id est, quàm à peccato, *hic sors est*, ex quo non modò Paralytis, sed omnes alij morbi oriuntur. Hoc adeò corripit nos, ut nihil boni in nobis habiter, Rom. 7. v. 28. sed omnia depravata sint, juxta illud, Esa. 1. v. 6.

Id nobis in Paralytico depingitur,

1. *Ratione auspicii.* Paralytis nihil aliud est, quam obstructio arteriæ, quâ Spiritus vitales in cerebro & corde impediuntur, quò minus in membra exteriora dividere se possint, unde obstupescunt, & ad munia naturalia inepta redduntur. Plurimi hunc morbū sibi attrahunt, intemperie, Venere & iracundiâ. Ita peccata actualia ut plurimū proveniunt inde, quia homines aures obturant, instar aspidis surdæ, Pl. 58. v. 5. & resistunt Spiritui S. ut primus mundus, Gen. 6. 3. hinc dilectio Dei & proximi in plurimis frigescit, Matt. 24. 12. contra vero opera carnis invalescunt, Gal. 5. 21. 22. tandem

sequitur Apoplexia, ut Deus defessus misereri constringat capita, verticem capilli, perambulantium in delictis suis, Psal. 68. v. 22. ut incidant in puteum, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

2. *Ratione exitii.* Paralysis enim nervos constringit, & omnia corporis membra, ut non modò inepti fiant ad officium suum: sed & intolerabiles dolores oriantur, unde Philemon Sophista morbo hoc correptus ait: *Comedendum est, manus non habeo, ambulandum est, pedes non habeo, dolendum est, & manus habeo & pedes.*

Sic impiis peccatum omnia membra constringit, ut non possint benefacere, quia didicerunt malum, Jer. 13. v. 24. Verùm ubi conscientia evigilaverit, videbunt, quid fecerint, montibus dicturi, cadite super nos, Apoc. 6. v. 16. Hinc Augustinus: *O peccata, peccata, dum svaderis ungitis, si persuasistis, ad mortem usque pungitis!* Jac. 1. v. 15. hinc multi ad desperationem adiguntur, ut sibi ipsis manus violentas inferant, & se in interitum & perditionem mergant, 1. Tim. 6. v. 9.

3. *Ratione auxilii.* Paralysis ejusmodi morbus est, qui nullo humano auxilio plenè curari potest, præsertim quando nimium invaluit: sed in principio auxilium adhiberi potest, internè, purgationibus idoneis, externè vero oleis & unguentis mollificantibus. Ita peccatum, quando in homine invaluit, morbus est desperatus. Ideò ait Bernhardus: *quando vitia in homine in consuetudinem abeunt, peculiaris Dei gratia requiritur, si extirpari illa debeant.* Peccata enim per consuetudinem despiciuntur, ut ejusmodi homines malum manuum suarum dicant bonum, Mich. 7. v. 3.

adeoque eò minus juvari illi possunt. Ergò principis obsta, purga cor tuum penitentia, quiesce agere perverse, disce benefacere, Esa. 1. v. 17. Deinde unge te oleo gratiæ divinæ, quod Christus nobis merito suo acquisivit. Sic salutatis effectus sequetur. Ubi enim exsuperat delictum, exsuperat & gratia, Rom. 5. v. 21.

Breviter: ut paralyticus hic ad Christum defertur, & in lecto ad pedes ejus reponitur, qui ipsum & corpore & anima curavit, & sanitati restituit: ita quando peccatorum paralysis infectus, in conscientia tua magnos dolores perentisicis, ad Christum confuge, & tua aliorumque oratione utere: id bonum est & acceptum coràm Salvatore nostro Deo, 1. Tim. 2. 3. Jac. 5. v. 16. Matth. 18. v. 19.

III. *Perversa cogitatio,* quam Christus reprehendit in Scribis, inquit: *Quare cogitatis mala in cordibus vestris? Licet enim aliis in Proverbio dicatur: Cogitationis poenam nemo patitur. Tamen id valet saltem in foro soli, ubi agitur secundum acta & probata: Verùm in foro poli hæc regula minus locum habet. Corda enim & renes scrutatur Deus, Jer. 17. v. 10. & intelligit cogitationes nostras de longè, Psal. 139. v. 3.*

Caveamus itaque, ne & ipsi pravis cogitationibus cordis, cujus figmentum malum est ab adolescentia sua, Gen. 6. v. 7. indulgeamus, sed recordemur novissima, & nunquam peccabimus, Sir. 7. v. 40.

Aves prohibere non possumus, ut caput nostrum supervolent: impedire tamen possumus, ne in capite resideant, aut in capillis nidificent: Ita à malis cogitationibus

bus immunes planè esse nequimus, ex corde enim proveniunt, tanquam venenata scaturigine, Matth. 15. v. 19. cavere tamen possumus, quò minus in opus erumpant, & primò peccatum, deinde mortem parturiant, Jac. 1. v. 15. si nimirum corpus crucifigamus, cum desiderijs & concupiscentijs, Gal. 5. v. 24. ne regnent in mortali nostro corpore, Rom. 6. v. 12. Nam *non nocet sensus, ubi non est consensus*, ut Bernhardus dixit. Quilibet Deum semper ante oculos habeat, & in hypocausto, vel cubiculo depingi curet historiam de iudicio extremo, & infernalibus supplicijs: sive proponat sibi caput mortuum, aut imaginem Crucifixi, vel simile quid: nec dubium est, quin hoc ipso pravas cogitationes repressurus sit, & ad meliores ansam capturus. Nam objecta movent sensus. Unde Salomo, Prov. 23. v. 29. & Siracides, 5. 9. v. 7.

Seneca optimè consulit, inquit: *Sic vive cum hominibus, quasi Deus semper te videat.* Sir. 23. v. 28. qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. I. Cor. 4. v. 5.

*De Secundo.*

**S**equitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex dulcissima Capernaum appellatione.* Venit enim Christus in civitatem suam. Hæc fuit Capernaum, ut Marcus testatur, cap. 2. v. 1. vocaturque civitas Christi, quia ibidem semper ferè habitavit, multos sermones habuit, & præclara miracula edidit. Unde Chrysostomus: *Bethlehem ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capernaum fuit ipsi habitaculum.*

Adhuc hodiè Christi civitas est, ubi verbum Dei purè docetur, & Sacramenta juxta institutionem Christi dispensantur, ibi enim habitat, Psal. 132. v. 14. ibi caminum & ignem habet, Esa. 37. v. 9. ibi veniet ad nos, & benedicet nobis, Exod. 20. v. 24.

Talis est Augusta nostra Vindelicorum, non modò ratione exhibitæ Confessionis, A. C. 1530. sed & liberi exercitii, quod nobis per constitutionem pacis restitutum est, ubi confidenter prædicare, Psal. 12. v. 6. & Deum tranquillè laudare possumus in Sion, Psal. 65. v. 2.

Agnoscamus id grato animo, O optimi! ut dignè ambulemus Evangelio, Phil. 1. v. 27. ne Dominus causam habeat væ super nos clamandi, ut olim super Capernaum, Matth. 11. v. 23. Avertat hoc benignissimum Numen, gratiam suam largiendo, sicut Capernaum, juxta quorundam opinionem, est *vicius penitentia*, & iterum *vicius consolationis*, ut & nos semper penitentiam agentes, Domino deprecemur, quæ peccavimus: sic vocem amabilem audiemus, quâ nos ut Paralyticum alloquetur: *Confide fili, confide filia, remittuntur tibi peccata tua!* Beatus, imò terque quaterque beatus! quem ita elegisti & adjunxisti tibi, inhabitabit in atrijs tuis, Replebimur in bonis domus tuæ: sancti templi tui, Psal. 65. v. 5.

II. *Ex perfectissima Paralytici curatione:* quam Christus ut Magister salvationum præstitit, Esa. 63. v. 1. Is modò corporalem sanitatem à Domino petebat: & ecce! Dominus non modò eandem ipsi largitur, sed & animæ sanationem procurat, obstruens scaturiginem peccatorum, ex

m m m ;

quâ

quã corporales morbi derivantur, Jer. 2. v. 19.

Quando igitur corpus tuum morbo affigitur, ut aut febris labores, ut Petri forcus, Matth. 8. v. 14. aut plenus sis ulceribus, ut Lazarus, Luc. 16. v. 20. aut leprã infectus, ut Naëman, 2. Reg. 5. v. 1. aut cæcas, ut Tobias, c. 2. v. 11. aut mutus ut Zacharias, Luc. 1. v. 20. aut Paralyticus, ut hoc miserie speculũm: Christo afflictionem tuam expone, & certissime confide, quod liberaturus te sit. Si tantum verbum dicet, sanabitur æger, Matth. 8. v. 8. habet enim verba vitæ, Joh. 6. v. 68. quibus omnia sanat, Sap. 16. v. 2.

Quod si animã laboras, ut Davidis querela tua fiat: Non est sanitas in carne mea, Psal. 38. v. 4. iterum Servatori tuo id expone, is & animum sanare potest, delens ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua, Esa. 44. v. 22. sicut non modò in Paralytico hoc: sed aliis quoque exempla habemus, ut hinc certi sumus, sicut illis misericordia facta est, sic nec hodiè illos eum ejectionum foras, qui venient ad eum, Joh. 6. v. 37.

Quando peccasti per incredulitatem, specta Thomam, Joh. 20. v. 26. Psal. 37. v. 26. per perjurium, intueere Petrum, Matt. 26. v. 72. per cælestis veritatis persecutionem, propone tibi Paulum, Act. 9. v. 15. 1. Tim. 1. v. 16. per inobedientiam adversus parentes, filium prodigum considera, Luc. 15. v. 20. per rixas & jurgia, Apostolos vide, Luc. 22. v. 24. per adulterium, mulierem peccatricem inspicere, Joh. 8. v. 7. (eqq. per furtum & injustitiam, Matthæum contemplare, Matth. 9. v. 9. Luc. 19. v. 5. Hæc Christi misericordia, tua sit confir-

matio, ne desperes, si fortè in delicto aliquo præoccupatus fueris.

Si culpa grandis est, Dei

Plus æquitas abundat:

Opis sat est huic in manu,

Ut ut malum redundat:

Hic pastor unus fidus est,

Huic Israel solutus est,

Omni suo reatu.

III. *Ex rarissima cogitationum manifestatione.* Vidit enim cogitationes Phariseorum & Scribarum. Hæc divina proprietates est, quæ nudo homini non convenit. Quis enim cogitata in corde abstrusa cognoscet? Homo videt ea, quæ apparent; Dominus autem intuetur cor, 1. Sam. 16. v. 8.

Quando proindè clandestino dolore angeris, quem nulli revelare audeas: siquidem multæ sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 31. hoc tuum solatium esto, quod Christo id non absconditum sit. Videt omnia tua desideria, & gemitus tui non latent eum, Pl. 38. v. 10. ideò non patietur te tentari supra id, quod potes, sed faciet cum tentatione evasionem, 1. Cor. 10. v. 13.

Novit quoque machinationes hostium nostrorum, & quando putant illi, quod omnia consilia occulta sint, sanctiori eorum Senatui interest, & dicit: Inite consilium & dissipabitur, Esa. 8. v. 10.

Novit, quando morbis afflictamur, imò quando mortis hora instat: & confirmat nos Spiritu suo sancto, ut bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18. quia & Angelos ablegat, ut animam nostram corporeis vinculis solutam, in Abrahamæ sinum deportent, Luc. 16. v. 22.

De

De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt

I. *Proximo succurre*. Id docent nos bajuli, qui nulli labori parcunt, quò Paralyticum hanc ad Christum deferant: Quia enim ipse se movere nequit, quatuor viri conjunctis viribus ipsum ad domum portant, in quâ Christus erat; & ubi præ magno populi confluxu, ipsum inferre nequeunt, tectum conscendunt, ægrotumque perfollo tecto funibus demittunt. Audiverant enim, quæ passim in infirmis patrasset, ideò non dubitant, quin hunc quoque possit & velit sanare.

Egregium hoc exemplum est *caritatis Christianæ*, quæ passim nobis in Scripturâ commendatur. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, Joh. 13. v. 34. Confer Phil. 2. v. 1. seqq. 2. Petr. 1. v. 5. seqq. Jacob. 2. v. 8. 1. Joh. 3. v. 18.

Ecce! ita sufficientem causam habemus, ut proximum opis nostræ indigum sublevemus. Hoc qui non facit, Christianismo suo maculam inurit. Sumus enim membra ejusdem corporis. Christus caput Ecclesiæ est, Eph. 1. v. 22. sicut igitur membra in humano corpore hanc sympathiam habent, ut si unum patitur membrum & reliqua compatiantur, 1. Cor. 12. v. 26. ita & nos invicem compatientes, fraternitatis amatores & misericordes simus, 1. Petr. 3. v. 8. Quando videmus proximum nudum esse, & indigere victu quotidiano, Jacob. 2. vers. 15. caritas tàm, quâ illum amplectimur, sit spontanea, ut ipsi panem frangamus, Eccl. 58. v. 7, & deriven-

tur in plateas rivuli aquarum, Prov. 5. v. 16.

Quando videmus proximum *tristem & afflictum*, verbis blandis eum alloquamur, consoantes pusillanimes, 1. Thessal. 5. v. 14.

Si *proximum labantem* cernimus, instauramus eum Spiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1.

Quod si *animum ejus odio ardere* conspicimus, animadvertimusque faciem ejus non sicut heri & nudius tertius, Gen. 31. 2. potius injuriam feramus, quàm malum malo rependamus, Domino vindictam committentes, Num. 12. v. 19. ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

Si proximum *infirmis obnoxium* conspicimus, sicut festucam in fratris oculo facilè videmus, Luc. 6. v. 41. non illum petulanter diffamemus, sed contegamus & excusemus: quia caritas operit multitudinem peccatorum, 1. Petr. 4. v. 9.

Si *ægrum* eum spectamus, iterum caritas Christiana flagitat, ut eum visitemus in tribulatione, quæ religio munda & immaculata apud Deum est, Jac. 1. v. ult.

Maximè verò *ad Christum properemus*, sicuti hi bajuli cum Paralytico, quia scimus, quod operetur salutem, in medio terræ, Psal. 74. v. 12. Judith. 9. v. 5.

Nos Paralytico huic non dissimiles sumus, ratione peccati, quod ita nos depravit, ut nec propriâ ratione, nec nostris propriis viribus, in Christum credere aut ad eum pervenire possimus: iccirco post natiuitatem carnalem, in lectulo nostro ad Ecclesiam deportamur, ut ex aqua & Spiritu renati, à peccato originali abluamur & purificemur. Deindè verbi Præcones multum operæ impendant oportet, ut nos à curvis peccatorum viis in veram cal-

callem reducant: sicut pastor ovis callem perditam humeris superimponit, & ad gregem portat, Luc. 15. v. 5.

Ideo non obstinatè reluctemur, sed noverimus eos, qui laborant inter nos, 1. Thess. 5. v. 12. licet non semper placentia loquantur, Etsi 30. v. 10.

Hic Paralyticus non repugnat, quominus portatores eum ad Christum deferant, per te factum demittant, & omnia faciant, quae salutis iussu ferunt: Ita quando Deus spirituales bajulos nobis mittit, qui nos ad Christum deferre volunt, h. e. Ecclesia sua Pastores, & Doctores concedit, ut pegis curam habeant, licet quandoque ex lege peccata arguant, Etsi 58. v. 1. non molestè idiferamus ut delicatuli faciunt, ideoque nesciunt, quae ad pacem suam pertinent, Luc. 19. v. 42. quae ratione ad Christum nunquam perveniunt, sed foris manent, ut canes, Apoc. 22. v. 15. penas damnant in interitum aeternum, à facie Domini, & à gloria virtutis eius, 2. Thess. 1. v. 9. Sed obsequentes nos praebeamus, quò ad Christum perducti beneficiorum eius participes redilamur. Nam placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21.

II. *Christi confide.* Quod factum cum à bajulis, tum ab ipso Paralytico, hinc ait Evangelista: Videns Iesus fidem eorum, dixit Paralytico: Confide fili! remittuntur tibi peccata tua.

Idcirco inquit requiritur. Licet enim Deus alienam quandoque fidem respiciat, & propter illam impiis indulgeat, sicuti videmus Genes. 19. v. 21. ubi Deus Iosho oppidum Zoan quasi donat, & ita impiis illis parcit: attamen id debet temporalibus

modò intelligendum est: ad justitiam vero & remissionem impetrandam, propria fides exigitur. Iustus in sua fide vivit, Etsi 2. v. 41.

Quandounque igitur morbis vel lallis modis à Deo affligimur, non modò ad locum intercessionem uramur: sed & ipsi devotas ad Deum preces fundamus, dum Deus ad iumentum sit & exaudiat. Requiritur hinc fiducia in se fiducia, quae veritas & promissione divina nitatur. Nam

Qui sperem Dei non abjicit,

Haud in vanum laboratur:

In hoc ce rupe qui struit,

Quamvis is invadatur:

Mulctis, non sentio

Italem virum cadentem,

Qui fudit hoc solatio

Nom deterriti fidentem.

Noli itaque fiduciam tuam abjicere, uti Christiane! sed ut bajuli hinc te factum perfingunt, & Paralyticum hoc modo ad pedes Christi demittunt: sic tu, quando auxilium nullum in terris reperis, oratione tua caelum percumpe, ibi Christum invenies, & praesentissimum auxilium senties. Qui enim ita confluerunt ad eum, facies eorum non sunt confusae, Ps. 34. v. 6.

Causa moventes sunt,

1. *Veritas promissionis.* Non enim inventus est delictum in ore eius, 1. Pet. 2. v. 22. sed veritatem custodit in seculum, Mal. 1. v. 6. Etsi 54. v. 10.

At qui promissis, se in die tribulationis nos exauditurum, Mal. 5. v. 15. nec daturum in aeternum afflictionem iustis, Mal. 5. v. 22. ideo firmiter promissioni eius fidei possumus. Non enim homo est, qui mentitur,

tiatur, Num. 23. v. 19. Sed omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4.

2. *Bonitas annuentis.* Nam irritata est anima ejus super miseriam Israelis, Jud. 10. v. 16. Jer. 31. v. 20. Psal. 36. v. 8.

Hoc animum addat nobis, ut cum fiducia ad thronum gratiæ adeamus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. 16.

3. *Potestas facientis.* Potens namque est facere omnia superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, Eph. 3. v. 20. Num. 11. v. 23. Luc. 1. v. 27.

Ecce! hinc est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, Eccles. 4. v. 12. & quando vera fiducia hunc apprehendimus, solatio, protectione & liberatione nunquam destituemur: Voluntatem timentium se faciet, & salvos faciet eos, Psal. 145. v. 19.

III. *Ministerium cole.* Quod fecit turba, de qua dicitur: Videntes autem turba, admiratæ sunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Hinc apparet, quod Christum pro Filio Dei nondum agnoverint, sed pro Propheta magno eundem habent, quales Deus olim populo suo multos misit. Interea agnoscunt potestatem, quam homines à Deo habent, & cuius beneficio peccata remittere & retinere possint, juxta normam ipsis à Christo præscriptam.

Ut enim antè adscensum suum in cælos mediatores ordinavit, quorum: Ministerio pœnitentiam & remissionem peccatorum annunciari iussit, Luc. 24. v. 47. nempe Petrum, Matth. 16. v. 19. & reliquos Apostolos, Matth. 18. v. 18. ita adhuc hodie dat Ecclesiæ Pastores & Doctores,

Eph. 4. v. 11. per quos Ministerium reconciliationis continuat, 2. Cor. 5. v. 19. faciens bonæ spei filios suos, quod daturus sit locum in peccatis pœnitentiæ, Sapient. 12. v. 9.

Agnoscamus igitur gratiæ excellentiam, quam Servator Absolutioni impertivit. Quando enim peccator in loco confessionis peccata sua Ministro Ecclesiæ confitetur, non homini, sed Christo ipsi ea exponit, cujus Legatus Confessionarius est, 2. Cor. 5. v. 20. idè non aliter absolutionem suscipiat, quam si à Christo ipso pronunciata esset, juxta illud Joh. 20. v. 23. Matth. 18. v. 18.

Quin & deprædicemus potestatem hanc à Christo hominibus datam, cum Davide dicentes: Benedic anima mea Domino, Psal. 103. v. 1. seqq.

Hoc debitum nostrum requirit, quod si observaverimus, descendemus cum publicano in domum nostram justificati, Luc. 18. v. 14. Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum, 1. Sam. 2. v. 30.

O vos mei! peccatum grande onus est, non comparandum cum onere Samsonis, Jud. 16. v. 3. non cum onere Jobi, quod gravius erat, quam arena maris, Job. 6. v. 3. non cum onere Israelitarum in captivitate Babylonica degentium, de qua Thren. 5. v. 5. 13. Hinc David: Iniquitates mee supergressæ sunt caput meum, Psal. 38. v. 5.

Peccatum ejusmodi onus est, quod & cælum ferre nequit: siquidem Angeli propter peccata in infernum detrusi sunt, Luc. 10. v. 18. ejusmodi onus, quod Filio Dei sudorem sanguineum expressit, Matth. 26. v. 39. tale onus, quod decem millia talenta superat, Matth. 18. vers. 24. &

nnn homi-

hominem in interitum & perditionem  
mergit, 1. Tim. 6. v. 9.

Hinc igitur è contrario colligere pos-  
sumus, quanta gratia sit, quod Christus  
hanc peccatorum molem à nobis in se  
transtulerit, Esa. 53. v. 4. & hodie tenus verbi  
ministros mittit, qui potestatem habent  
hominibus peccata remittendi, & retinen-  
di, eo cum effectu, ac si Christus ipse imme-  
diate hoc munus obiisset, Matth. 18. v. 18.

Iccirco grato animo id agnoscentes,  
cum turbâ glorificemus Deum, qui dedit  
potestatem talem hominibus.

In Pontificia Ecclesia indulgentiæ carè  
venduntur: at in nostris Ecclesiis absque  
argento hicce thesaurus cuique concedi-  
tur, Esa. 55. v. 1. siquidem gratia Dei pecu-  
nia non possidetur, Actor. 8. v. 20. & ta-

men multi gratiam hanc, magno sui dis-  
pendio abjiciunt & spernunt, unde non  
mirandum, si in peccatis illi maneat. Non  
miseretur enim Deus omnibus, qui ope-  
rantur iniquitatem, Psal. 59. v. 7.

Videamus modò ut seriam in tempore  
gratiæ agamus penitentiam, sic non mo-  
dò remissionem peccatorum impetrabi-  
mus, sed & tandem veniemus in eum  
locum, ubi nulla absolutione nec peccato-  
rum indulgentia amplius indigebimus, sed  
ισούσιον erimus, Matth. 22. v. 30. Christo-  
que exhibebimur, tanquam pura sponsa,  
non habens maculam aut rugam, sed san-  
cta & irreprehensibilis, Ephes. 5. v. 27.

Fiat id per Christum JESUM,  
Amen.

## DOMINICA XX. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 22. v. 1.-15.*

### EXORDIUM.

**C**UM David, superato immani  
Goliatho, promissis aleretur,  
quod Rex Saul, illi filiam suam  
in matrimonium collocaturus  
esset, ille propterea in hæc verba erumpe-  
bat: Num parum videtur vobis, generum  
esse Regis? 1. Sam. 18. v. 23.

Hæc mysticè intelligemus.

David opilio erat, minimus & contem-  
tissimus inter fratres suos, 1. Sam. 16. v. 11.  
ita veri Christiani plerumque infimi sunt  
in mundo, & lampas contempta apud cogi-  
tationes divinum, Job. 12. v. 5. Verum  
Deus novit eos extollere, si tempus adest,

quod in consilio suo arcano decrevit. Li-  
cet enim in altis habitet, tamen humilia re-  
spicit, in cælo & in terrâ; erigens de pul-  
vere inopem, & de stercore exaltans pau-  
perem: ut collocet eum cum principibus,  
cum principibus populi sui, Psal. 113. v. 6.  
seqq.

Sicut enim Davidi successit, ut primò  
gener Regis, deindè post mortem Saulis  
Rex evaserit: ita nos Deus insigniter nobi-  
litavit, dum filio suo desponsavit nos.  
Quis igitur non placeret sibi? quis non  
exultaret, quod Deus ad eò appropinqua-  
vent nobis, ut per spiritualem filii sui de-